



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, 1657**

Synodus Osnabrugensis, ejusdem Episcopi Francisci Gvilielmi tertia,  
celebrata V Martii MDCXXX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

S Y N O D V S  
O S N A B R V G E N S I S ,  
C E L E B R A T A

Anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo ,  
feria tertia post Dominicam Oculi , quæ  
erat quinta Mensis Martii ;

P R A E S I D E N T E

Reverendissimo & Illustrissimo Principe ac Domino ,

D . F R A N C I S C O  
G V I L I E L M O ,  
E P I S C O P O O S N A B R V G E N S I  
A C V E R D E N S I ,

Præposito Ratisbonensi , Comite de Wartenberg ,  
& Domino in Wald , &c.

# I N D E X

eorum, quæ in hac Synodo continentur.

<i>Ordo &amp; Cæremoniæ Synodi.</i>  <i>Constitutionum Synodalium</i>  <b>CAP. I.</b> <i>De distinctione Diaœesis Osnabrugensis in certas Regiunculas seu Decanatus.</i> <b>CAP. II.</b> <i>Designationes Decanatum.</i> <b>CAP. III.</b> <i>De constitutione Decanorum ruralium.</i> <b>CAP. IV.</b> <i>De successivamutatione &amp; nominatione Decanorum.</i> <b>CAP. V.</b> <i>Forma juramenti Decanorum ruralium.</i>	<b>CAP. VI.</b> <i>De Officio Decanorum ruralium.</i> <b>CAP. VII.</b> <i>De congregationibus Capitulo-rum.</i> <b>CAP. VIII.</b> <i>De Camerariis.</i> <b>CAP. IX.</b> <i>De constitutione Camerariorum.</i> <b>CAP. X.</b> <i>De festis Conceptionis &amp; Annun-ciationis Desp[er]e solemniter cum publica gratiarum actione cele-brandis.</i> <b>CAP. XI.</b> <i>De habitu Clericorum &amp; usu Romano.</i> <b>CAP. XII.</b> <i>De mendicantibus.</i>
--	---

# ORDO ET CÆREMONIAE

servatæ Synodi.



Eriâ secundâ post Oculi, pridie ejus diei quo celebranda erat Synodus, ab horâ quintâ pomeridianâ usque ad sextam per omnes civitatis Ecclesiâs compulsa campanarum fatum est initium Synodi, alterâ die celebranda, & piorum mentes excitata ad gratiam Dei pro felici auspicio & profectu diligenter implorandam. In sequente die, que erat quinta Martii, circa horam octavam campanis summae edis concrepantibus, Reverendissimus & Illustrissimus Episcopus & Princeps Osnabrugensis, &c. indutus habitu Episcopali, cappâ & rochetto, ex domo Residentie, Clero precedente, & ordine alias servato, ad Cathedram Ecclesiâm processit. Ingessu in templum Reverendissimo & Illustrissimo Episcopo & Principi assertum probuit Admodum Reverendus & Praenob. Dominus Sixtus à Liankema, Praepositus Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis; quo sibi primum, deinde alii prope circumstantibus, Cathedralis Ecclesiæ Canonici, aquam lustralem assertit Reverendissimus Episcopus; ac deinde per gradus ascendens, in choro vestibulo ad primum Altare venerabundus sanctissimum Sacramentum adoravit; deinde ad chorum progediens, thronum ac baldachinum in eo preparatum ascendit, expelans donec Admodum Reverendus D. Abbas Monasterii S. Clementis in monte Iburgensi, Sacrum pro felici auspicio cantaturus, in pontificalibus procederet. Cantatum vero fuit ab eodem Domino Abbe Sacrum de S. Spiritu solemniter; cui ut ministri servierunt istius Ecclesiæ Vicarius Sacerdotes.

Divino sacrificio finito subiuncta fuit Antiphona Exaudi, &c. quam Admodum Reverendus Abbas Iburgensis, pluviali induitus, exceptis oratione, Adsumus, &c. ante medium Altare clara voce pronunciata subinde inchoato Hymno, Veni Creator, &c. Reverendiss. & Illustriss. uti & Clerus, ordine suo processit ad Capitulum Aulam maiorem, locum Synodo deputatum; Hymnum vero subsecuta sunt Litaniae, ex Pontificali Romano; quas Oratione clausit dictus Abbas Iburgensis.

A Diacono vero cantatum Euangelium diei tertiae Synodi ex Pontificali Romano; quo per Reverendissimum & Illustrissimum osculato, ac incensatione in suam Celsitudinem subsecuta, signum datum est a Domino Vicario Episcopali, ut sessum omnes caperent.

Omnibus confidentibus, Reverendissimus & Illustrissimus Episcopus, conceptis ex Romano Cæremoniali verbis, presentes in Synodo est allocutus, FRATRES, &c. ac deinde per Domitium Vicarium generalem indicio dato, Reverendus P. Paulus Romannus, Societas Iesu Theologus & Ecclesiastes Cathedralis Ecclesiæ, a Reverendissimo & Illustrissimo licentiâ peritâ, & flexis genibus acceptâ benedictione, ex suggestâ Orationem Synodalem habuit, personis & tempori convenientem.

Oratione Synodali finita, Reverendiss. & Illustriss. Episcopi Vicarius in spiritualibus ex mandato sua Celsitudinis, assurgens, presentem Synodum est allocutus, monuitque ut ad statuta Synodalia prelegenda diligenter attenderent, que ex manibus ejusdem Reverendissimi & Illustrissimi Episcopi reverenter accepta, R. D. Comadus Buiren, in Cathedrali Ecclesiæ Vicarius & Curatus, ex sugge-situ publicè legit.

S E-

SEQVNTVR CONSTITUTIONES  
SYNODALES.

**E**RANCISCUS GUILIELMUS, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Osnabrugensis, & Verdenfis, Præpositus Ratisbonensis, Comes de Wartenberg, & Dominus in Wald, &c. Venerabilibus, Religiosis, Honorabilibus, Nobis in Christo sincere dilectis atque devotis, Ecclesiæ Nostræ Cathedralis Præposito, Decano & Capitulo, omnibusque & singulis Ecclesiârum Collegiarum, Regularium & Parochialium, Abbat. Præpositis, Decanis, Prioribus, Guardianis, Pastoribus, Rectoribus, Clericis, ac personis Ecclesiasticis, quibuscumque nominibus censeantur, aut in quacunque Ecclesiastica dignitate seu functione per Civitatem & Diœcēsin Nostras Osnabrugenses constitutis, Salutem in Domino.

**CAP. I. De distinctione Diœcesis Osnabrugensis in certas Regiunculas seu Decanatus.**

**C**Vm Nos, ex debito solitudinis Nostræ Episcopalis, eam merito curam suscipere debeamus, quomodo Diœcesis Nostræ, tatis amplæ, & vicinarum regionum, Ecclesiasticæ jurisdicitioni Nostræ subjectarum accessione, magis dilatatae, cum prudenti circumspetione & distributione particularium quarundam solitudinum ac industriarum, faciliorem possimus reddere rationem ac curam; nulla Nobis occurrit ratio melior, quam quæ olim exemplo Moyfis demonstrata, jure Ecclesiastico approbata, & à multis retro Archiepiscopis Coloniensibus tanquam Metropolitani aliisque Præsulibus per Christianum ornatum ante multa saecula suscepta, & pro idoneo medio conservandæ disciplina Ecclesiasticæ, maxime inter Pastores (à quorum exemplo populi probitas dependet) existimata fuit; nempe ut Diœcesis Nostra in certas Regiones & quasi classes distinguitur, quarum unaquæque certum & determinatum Parochiarum numerum continat, quibus unus ex Pastoribus, ceteris vitâ & doctrinâ excellentior, præficiatur, quem Decanum ruralem vulgo appellare solent; qui præcipuum super alios curram, & in certis casibus autoritatem habeat ampliorem, ac ceterorum Presbyterorum per diversas Parochias habitantium vitam iugi circumspetione custodiat, & quæ quisque industria divinum opus exerceat, Nobis renuntiet, minora emendet, cuncta tamen ad Nos referat, nec aliquid contra Notrum Decretum ordinare præsumat; ut in nullo titubet Eccle-

siaistica sollicitudo. Cujus rei cum Nos in Synodo Nostra majore, Anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo celebrata, spem atque expectationem excitaverimus, eadem nunc, quantum in Nobis est, perfidere cupientes, statuimus & ordinamus, ut posthac in Episcopatu Nostro Osnabrugensi, & locis Diœcestanæ jurisdictioni Nostræ subjectis, subsequentes regionum seu Decanatum distributiones observentur.

**CAP. II. Designationes Decanatum.**

DECANATUS I

*Civitatis Nostræ Osnabrugensis; cuius erunt hæ Ecclesiæ Parochiales.*

S. Petri in Cathedrali Ecclesia.	Bissendorp.
B. Mariae Virginis in foro.	Rulle.
S. Ioannis in Collegiata Ecclesia.	Belem.
S. Catharinæ in Civitate prædicta.	Walendorf.
	Schledehausen.

DECANATUS II

*Widenbrugensis.*

Parochia Civitatis Widenbrugensis.	
Guterföö.	Warle.
Langenberg.	Mastholt.
S. Viti.	Rheda.
Ritberg.	Claholt.
Newkirchen.	Hersenbroeck.

DECANATUS III

*Iburgensis.*

Iburg.	Glandorff.
Glaen.	Hagen.
Laer.	Holte.
Hilter.	Borgloë.
Dissen.	Ozede.

DECANATUS IV

*Fürstenowensis.*

Parochia Civitatis Fürstenowensis.	
Parochia Civitatis Quackenbrugensis.	
Bippen.	Newkirchen
Bergen.	im Hülfè
Anckum.	Menslage
Alffhausen.	Bathbergen
Borsfel.	Vffelen
	Voltlage
	Schwartorff
	Merlen
	Bersenbrugk

D E

*Ex d. c. 18.  
Ex v. 18.  
c. us singula. De  
effic. Ar-  
chipres.*

*Ex d. c. 18.  
singula.  
De Office.  
Archiep.*

## DECANATVS V, DECANATVS XII,

*Vordenensis.*

Parochia oppidi Vordenis.	
Newkirchen.	Bramesche.
prope Vorden.	Damme.

*Tecklenburgensis.*

Tecklenburg.	Cappelen.	Lotte.
Lengercke.	Werlen.	Linen.
Ledde.	Latbergen.	

## DECANATVS VI,

*Grönenbergensis.*

Melle.	Riemslohe.
Gefmel.	Hoyell.
Wellinckholthausen.	Buer.
Newkirchen.	Oldendorff.

## DECANATVS VII,

*Witlacensis.*

Effen.	Honteburg.
Barckhausen.	Oestercappelen.
Lintorff.	Venne.

## DECANATVS VIII,

*Primarius Embolandie.*

Parochia Civitatis Meppensis.	
Haselünne.	Hesepo.
Boëcklohe.	Wefwe.
Borsen.	Lathen.

## DECANATVS IX,

*Secundarius Embolandie.*

Aßchendorff.	Locroff.
Berfumb.	Holte.
Heede.	Haren.
Neede.	Landecke.
Werd.	Soëgeln.

## DECANATVS X,

*Wildeshausenensis.*

Parochia Wildeshausenensis Civitatis.	
Hündtloesen.	Visbeck.
Kneten.	Steinfelt.
Vecht.	Vetrup.
Coënens.	Dincklage.
Cappel.	Backum.
Oëstdreber, Bernstorff, &c.	& aliae in Comitatu Deipholtano.
Wetterstede, & aliae in Comitatu Oldenburg.	

## DECANATVS XI,

*Cloppenburgensis.*

Cloppenburgk.	Altenoëte.	Scharle.
Crapendorff.	Frisoëte.	Strucklin-
Loeningen.	Lindern.	gen.
Lastrup.	Bassel.	Rifenbeck.
Marckhausen.	Effen.	Dreyerwalt.
Mor bergen.	Rain schlag.	Hobsten.

## DECANATVS XIII,

*Ravensbergensis.*

Halle.	Iselhorst.
Borckholthausen.	Hildeshausen.
Verf melde.	Werter.
Waldenbrugge.	Büne.
Enger.	Renckhausen.
Iollenbecke.	Bönninkhausen.
Broekhagen.	Oldendorff.
Spenge.	Holthausen.

CAP. III. *De constitutione Decanorum ruralium.*

VT vero hæc res melioribus auspiciis inchoetur, Nos in singulis Decanatibus seu Regionibus supradictis aliquem nominamus & constitui mus, quem, auditis aliorum testimoniis, existimamus aptiorem. Sunt autem sequentes:

Ad Decanatum Civitatis Nostræ Osnabrugensis denominatus est P. Casparus Münter, SS. Theologæ Doctor, & Parochus Ecclesie B. Mariæ Virginis in Civitate Osnabrugensi.

Ad Widenbrugensem D. Iudocus Dulenus, Ecclesie Collegiatæ ibidem Decanus & Pastor.

Ad Iburgensem F. Jacobus thor Wahrt, Benedictinus, & Pastor in Hilter.

Ad Fürstenowensem Dominus Reinerus Hardement, Pastor in Batbergen.

Ad Vordensem Dominus Henricus Krumpelman, Pastor in Engter.

Ad Grönenbergensem Dominus Hermannus Hoffhaus, Pastor in Melle.

Ad Witlacensem F. Ioannes thor Westen, Benedictinus, & Pastor in Barckhausen.

Ad Decanatum primarium Embolandie Dominus Antonius Fredebal, Pastor in Sten nebiel.

Ad Decanatum secundarium Embolandie idem Pastor in Sten nebiel, donec alias substituatur.

Ad Wildeshausensem Dominus Henricus Petzius, Pastor Vechtensis.

Ad Cloppenburgensem Dominus Albertus Kramer, Pastor in Crapendorff.

Ad Tecklenburgensem, ex causis, hac vice nullus est constitutus.

Ad Ravensbergensem, ex similibus causis, nullum hac vice constitui mus.

CAP.

C A P. IV. *De successiva mutatione  
& nominatione Decanorum.*

**A**D hujus vero rei firmitatem ac perpetuam conservandam , volumus posthac singulo triennio ante Quadragesimalem Synodum , circa Dominicam Invocavit , ex Pastoribus uniuscujusque Decanatus unum , magis idoneum , nominare , qui professionem Fidei in Synodo post Dominicam Oculi publicè emitte , ac fidelitatis juramentum præstabit ; quibus præviis , illi confirmationem in scripto dari curabimus .

Constitutus vero Decanus in alterum etiam trienium , si ex rationabilibus causis ita nobis videbitur , continuari poterit . Si quis vero Decanus ante triennium moriatur , alius à nobis surrogabitur .

C A P. V. *Forma juramenti Decano-  
rum ruralium.*

**E**GO N. &c. juro & promitto , quod Reverendiss. & Illustriß. Domino Episcopo Osnabrugensi , & ejus Successoribus , canonice intrantibus , fidelis & obediens ero , & ejusdem Reverendissimi Domini Episcopi & ejus Ecclesiæ commoda promotebo & damna avertam , atque officium Decanatus , & commissa mihi ac mandata , fideliter exequar , absque omni dolo & fraude . Sic me Deus &c.

C A P. VI. *De Officio Decanorum  
ruralium.*

**I**Decanis Ruralibus in primis commendata sunt omnia , quæ in Canonibus statutis Synodalibus ac Provincialibus , de officio , vitâ , & honestate Parochorum , Sacerdotum & Clericorum , sunt præscripta ; & ut ea in se ipsis exhibeant , & in aliis suæ Regiunculae existentibus Pastoribus observent ac requirant .

2 Ad Decani ruralis officium pertinet , bis in anno ante Synodum Dicefanam , nimirum mense Februario & Septembri , ad congregatiōnēm communem seu Capitulum suos Pastores convocare ; Ecclesiæ Parochiales , Capellas , Sacrificias , Sepulturas , Cœmeteria , Hôspitalia , Parochorum aliorumque Clericorum ædes ac familias , & alia pia loca districtus sui , quotannis simul , una cum Camerario vel alio adjuncto , visitare ac diligenter inspicere , idque curare , ut sarta tecta serventur , & quæ ad divinum cultum sunt necessaria , vasa sacra , ornamenti , vestes , libri , recte & integre suo loco & ordine conserventur .

3 Diligenter quoque inquirant in Iura & bona Ecclesiastica sui Decanatus , an recte administrantur , conserventur ; an ex iis aliquid alienatum sit , aut ab aliis usurpetur ; an Ecclesia aliqua turbetur , debitum oneretur , liti-

bus implicetur , cum quibus & ex qua causa .

4 Praeterea folicet ac prudenter , de Pastorum , Sacerdotum , custodum , ludimagistrorum , editiorum seu Prævorum ac ministrorum Ecclesiæ , vita ac conservatione inquirant : num scilicet illi in functionibus suis , celebratione Missarum , verbi divini prædicatione , Sacramentorum administratione , Catechismi doctrina , horarum persolutione , decentia morum , victus ac vestitus ratione , studii assiduitate , & alii similiter pro ratione functionis suæ , officio suo satisfaciant , ac , quid ubique locorum desit aut defideretur , accurate considerent , ut ea ad nostram cognitionem referre possint .

5 Demum , graviores Cleri & populi excessus , ac crimina publica , quibus Ecclesia scandalizatur , Decani ad nos referant , ut matrè scandalis obviare , & hujusmodi mala , antequam latius serpant , è medio tollere valeamus .

6 Decanis ruralibus seriò etiam commendatur & injungitur , ut quæ de libris baptisimis & matrimonialibus , nominibus communicantium & id negligentium , post Pascha Nobis aut Nostro Vicario designandis , in praecedentibus Synodis præscripta sunt , in praxi redigi current .

7 Cum contigerit , aliquem ex Parochis , Curatis , aut cooperatōribus agrotare , Decani est eundem invicere , eamque sollicitudinem adhibere , ne quidquam illi desit ex iis quæ ad animæ seu corporis curam spectant . Si eorum quispiam obicerit , rerum reliquarum , per se vel Camerarium , aut unum ex deputatis Pastoribus , adjuncto Notario ( si haberi possit ) & tribus testibus , Inventarium conficiet , eaque obligabit , ut piis legatis & aliis creditoribus de solutione debitorum cautum sit , atque omnia Registra & monumenta Ecclesiæ vel Pastoratus in usus corundem conserventur , nec in aliorum manibus relinquantur , etiam sub pretextu , quod iis ad executionem Testamenti indigeant ; quibus tamen pro necessitate copia dabitur .

8 Quæ autem Decani in Capitulis ac visitationibus quotannis fecerint , curaverint , cognoverint , ea omnia per Camerarium scripto comprehendant , ut requisiti diligentiam suam comprobare possint : bis verò singulis annis , scilicet ante Quadragesimalem & Autumnalem Synodum , munera sui rationem , vel coram vel scripto , Nobis aut Nostro in spirituallibus Vicario faciant , & quæ ipsis mandabuntur , ceteris Pastoribus & subditis Nostris tempestivè ac matrè insinuabunt ; in negligentes privatione Decanatus aut aliis poenis animadvertemus .

C A P. VII. *De Congregationibus  
Capitularum.*

**I**Congregationes Capitulares annis singulis bis habeantur , ante Synodum

odum Quadragesimalem & Autumnalem, die aliquā minime impeditā. Convenient vero ad Citationem Decani omnes istius districtus Parochi, Sacellani, & Clerici, ac Regulares, si qui ad curam animarum admissi sunt, ad locum à Decano designatum; qui vel Ecclesia erit, vel Sacristia, vel domus Pastorale, aut alterius Ecclesiastici viri. Qui adesse non poterunt, legitime impediti, excusationes suas & causas scripto proferant, sub poena arbitraria.

2 Operae vero pretium est, ut convenientes, tanquam ad rem feriam accessi, per confessionem sacramentalem expiat ac preparati, in loco Capitulari pridie compareant; nisi quidam tam prope habent, ut eodem die tempestivē accedere possint.

3 Camerarius id curabit, ut ubi Capitulum celebrabitur, adventantibus Pastoriis de hospitiis honestis, ipsorum tamen sumptibus, provideatur.

4 Ipso die Capituli celebrandi, Sacrum pro fratribus & benefactoribus, tam vivis quam defunctis, & alterum de S. Spiritu, ab his qui à Decano præmoniti sunt, celebrabitur.

5 Sacro finito, fiat progressus ad locum Capituli; ubi, omnibus ordine confidentibus, postquam Decanus (qui, tanquam caput congregationis, directionem actionum Capitularium habet) absentium excusationes audiverit, omnes asturgent in genua procubent, ad imaginem Crucifixi quæ in mensa ponetur, aut, si in Ecclesia celebretur Capitulum, ad Altare convervi, alternatim recitabunt Hymnum, *Veni creator Spiritus*, &c. Decano collectam de S. Spiritu, & pro Romano Episcopo, subiungente.

6 Ad has congregations Capitulares, nemo Clericus, nisi de gremio Capituli, nec quispiam laicus, sub quoconque etiam praetextu, accedit aut admittetur.

7 Confidentibus iterum congregatis, à Decano proponetur, si quid ipsi singulariter mandatum aut injunctum fuerit; ac pro temporis ratione prælegetur vel dicetur aliquid, de his quæ ad Pastorū, Sacerdotum aut Clericorum vitam & officia pertinent.

8 Deinde inquiretur, si quod gravamen personæ Ecclesiastice, vel loco, vel beneficio sit impositum, vel lis aliqua mota unde periculum timeatur.

9 Si quis istius Regiunculae Clericus, vel etiam laicus, alterius potentia innocenter prematur, cui merito auxilium ferendum sit.

10 Si in districtu quispiam sit vagus & ignotus, qui, sine legitima institutione & approbatione, divinis & Sacramentorum administrationi se ingerat.

11 Si quispiam Parochus aut Sacellanus, particulare gravamen quoad muneric sui executionem, expertus sit.

12 Si ullus Pastor aut Beneficiatus in ista

Regiuncula sit, in quo desideretur honestas Clericalis, in vita, moribus, studiis, doctrina, habitu, familia.

13 Si in ista Regiuncula sint haeretici, schismatici, Apostatae, concubinarii, turpiter, impie, ac scandalose in peccatis publicis viventes, aut de his & aliis publicis criminibus suspecti aut diffamati; quos ipse diligenter notabit ac insinuabit. Horum vero aut similiū criminum examinationi, discussioni, aut correctioni, vel notabilium rerum definitioni, Decani nullatenus sese immiscant; quod nulla ipsis Iurisdictionis competat auctoritas, sed solum ministerii & officii industria, & ad superiores relatio.

14 His peractis, Décanus vel præleger vel prælegi curabit ex Synodalibus Constitutionibus illa, quæ ad Pastores, Sacerdotes, ac eorum officia spectant; & si inter legendum occurret, de quo præsentes, vel eorum aliquem, monendum aut informandum putet, id breviter & efficaciter faciet; ac deinde Capitulares actiones per convenientes preces concludet, subiungetque orationem ex Romano Pontificali, *Nulla est Domine*, &c. quæ habetur in cærimonis Synodi Osnabrugensis, Anni millesimi sexcentesimi vigesimali noni.

15 Quæ in his Capitulis proposita & acta sunt, Camerarius in librum peculiarem referet, ad memoriam & directionem necessariam.

16 In his conventionibus Capitularibus, ut symbola fraterna & honesta constituantur, præsertim pro iis, qui procul à Parochiis absunt, nec intra tres aut quatuor horas domum suam pertingere possunt, non videtur improbandum.

17 Illud tamen cavendum est, ne hujusmodi conventiones, aut prandia, in cauponâ vel diversorio, sed in domo Decani aut alterius Pastoris vel Ecclesiastici viri, seruentur, ac valde sobria, moderata, & succincta sint, nec ullus ad ea admittatur nisi qui sit de congregatis Capituli.

18 Hujus collationis sumptus, absentes cum prætentibus simul tolerabunt; &c. si quis notabilis excessus admissus fuerit, illum Decanum nobis denunciare tenebitur, sub poena arbitriæ.

19 Ad vitandam vero inanitatem ac superfluitatem otiosi sermonis, initio mensæ sacra lectio, de Officio Pastorum, ex probato auctore inseri poterit, per juniorem institutione Pastorem; qui etiam in conventionibus Capitularibus Oftarium ageret.

20 Omnes vero Pastores, & præsentes alii Sacerdotes, ad silentium & secretum Capituli debitum obligati erunt, sub poena arbitriæ.

21 Decanis suis Pastores & Clerici debitam reverentiam & obedientiam exhibeant, ad Capitulum vocati compareant, aut legitimas suas excusationes mittant; de vitiis, erroribus,

ribus , defectibus & criminibus interrogati , respondeant , correctiones libenter suscipiant , mandatis obtemperent . inobedientes ac rebelles , quos ad Nos deferri volumus , gravi pena compescemus .

C A P . VIII . *De Camerariis.*

**C**amerarii Decanis in subfidium & auxilium adjuncti & iis , legitimè impeditis , substituti sunt ; qui ea , quæ proposita , tractata , indicata , & notata sunt , diligenter in unum librum conferant ; & Decano , ad visitationes , inspectiones atque quascunque actiones progrediendi , comites sint ; simulque cum Decano intendant , ut res & jura Ecclesiarum debite conserventur , atque omnia & singula , quæ Decano præscripta sunt , sedulo curentur .

Camerarii singulis bienniis officio suo defungentur , & , simili modo ut Decani , à Nobis constituentur , ac professionem fidei fidelitatisque juramentum præstabunt .

C A P . IX . *De constitutione Camerariorum.*

**N**ominantur vero hac vice subsequentes : Camerarius Decani Civitatis Osnabrugensis , Dominus Martinus Fischer , Pastor in Bissendorff .

Civitatis Widenbrugensis , D. Iohannes Sprenger , Pastor S. Viti .

Iburgensis , D. Theodorus Mauritii , Pastor in Hagen .

Fürstenowensis , Dominus Theodorus Liete , Sacellanus Barbergenensis .

Vördensis , D. Alexander Hepges , Pastor Vördensis .

Groenenbergensis , D. David Groethaus , Pastor in Buer .

Witlaenensis , D. Lucas Beckman , Pastor Vennenensis .

Pro primario Emblandia , Dominus Ioannes Streng , Pastor in Wesewe .

Pro secundario Emblandia , Dominus Iohannes Schöele , Pastor in Boecklöë .

Wildeshausenensis , D. Bernardus Brockman , Sacellanus Vechtenensis .

Cloppenburgenensis , D. Iohannes Brand , Pastor in Eßlen .

Pro Tecklenburgensi , & Ravensburgensi , denominationem ex causis differimus .

C A P . X . *De Festis Conceptionis & Annunciationis B. Mariæ Virginis solemniter cum publica gratiarum actione celebrandis.*

**C**um Invictissimus Imperator Romanus FERDINANDUS II , in perpetuam memoriam gratiarumque actionem , omnipotenti Deo pro gloriois victoriis , hacenus ipsius gratia concessis , exhibendam , singulari

cultu & honore Deiparam Virginem Mariam prosequendam , pie judicaverit , ac desideraverit ut per Romanum Imperium festum Conceptionis ejusdem immaculatae , solemnis ac magnifico ritu , cum gratiarum actione , quotannis celebretur ; repetimus , arque in his Decretis Synodalibus pro monumento perpetuo inserimus programma illud , quod in hanc rem à nobis antehac publicatum fuit ; volumusque , ut eodem die anniversario , nunc & futuris temporibus , per totam nostram Diocesin , preces publicæ & gratiarum actiones in hanc intentionem fiant .

Sequitur

## EDICTALIS PROMVLGATIO.

**F**RANCISCVS GUILIELMVS , Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Osnabrugensis , Praepositus Ratisbonensis , Comes de Wartenberg , & Dominus in Wald , &c. Venerabili Clero Civitatis & Diocesis Nostræ Osnabrugensis , salutem in Domino . Cum in praecedentium aliquot annorum periculosa Ecclesiæ Dei & Romani Imperii perturbatione , hostiumque machinationibus , invictissimus simul ac religiosissimus Imperator , FERDINANDVS II , auxilium de cælo ad præsentem manum Domini , evidenter signis ac miraculis à Deo concessis victoriis , expertus fuerit , atque à suis majoribus , ac præsertim inclytæ domus Austriae propagatore RUDOLPHO I , dederit , pietate magis quam armis elevari familias , dilatari & firmari Imperia , stare ac parari victorias , Deumque omnipotentem , ad misericordiam suam ac beneficiam in nos continuandam & augendam , tum maxime moveri , cum pro præstatis beneficis & bonis demissum animum , ac debite gratitudinis memorem , ac ejusdem voces signaque exhibentem , experitur : hinc Dei præsentem in se misericordiam , & manum auxiliatricem extollere , ac omni posteritati contefatum facere cupiens , è cælo petitas ac datas esse victorias , inde ulterius expectandas , & per æternam gratiarum actionem impetrandas ; rectissime cupit & intendit , Reginæ cæli , & Ecclesiæ ac Imperii contra hereses patronæ ac protectricis , immaculatae semper Virginis Conceptionis diem festum , in tot tantarumque victoriarum perpetuam recordationem , solemnius celebrari , idque per universum Romanum Imperium sancti & publicari . Nos igitur , piissimo huic desiderio haud immerito contentientes , justum ac rationabile vera pietatis obsequium existimamus , ut divinæ misericordiaz opera honorifice celebrentur , ac Deo gratiaz agantur , qui dedit victorias per Dominum nostrum Iesum Christum . Proinde præcipimus , hortamur , & obsecramus universos Diocesis Nostræ subditos ,

tos, primum omnium fieri gratiarum actiones, obsecrations, orationes & postulationes, pro Ecclesia sancta Dei, summo Pontifice, Imperatore, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, proque subditis, ut tranquillam vitam agamus in omni probitate & castitate. In quem finem, dictam immaculatae Conceptio-  
nis festivitatem, in perpetuam acceptorum be-  
neficiorum memoriam, in choro & foro so-  
lemniter, instar summi festi, cum Octavâ, per-  
petuo celebrari, ac pridie (modò Dominica  
non sit) abstinentiam à carnibus observari  
mandamus; atque, confisi de divina misericordia,  
quadraginta dierum Indulgentias omnibus,  
qui ipso die festo, & per Octavam, uni  
majorum horarum, aut sacro sancto Missæ  
officio interfuerint, elargimur. Data Osnabru-  
gi, decimo septimo Ianuarii, Anno millesimo  
sexcentesimo trigesimo.

Ne vero etiam Nos ac Successores Nostri,  
gratæ mentis significationem, qua divinam  
manum adjutricem in recuperanda Diœcesi  
Osnabrugensi, ac cæteris Nostris actionibus,  
singulariter expertos Nos esse cognoscimus,  
& ab eadem ulterius omnia bona expectamus,  
omittere videamur; similiter per præsentes  
edicimus & statuimus, ut post hac singulis annis  
festo Annunciationis Matris Christi (quo die,  
Anno millesimo sexcentesimo vigilius octau-  
vo, explosis erroribus falsique dogmatibus  
quæ Civitatem Osnabrugensem plurimis an-  
nis occupaverant, restitutio Sanctæ Religio-  
nis, Parochiarum, & Monasteriorum, ac re-  
formatio per Diœcesin facta est) publicæ grati-  
iarum actiones per Civitatem & Diœcesin  
Nostram, & omnes ejusdem Ecclesiæ, in sum-  
mo Sacro instituantur: in Civitate vero Osnabru-  
gensi, eodem die post prandium, Clerus &  
populus ad templum B. Mariae Virginis hora  
prima pomeridiana conveniat, & ex eo, Lita-  
nias de B.M.V. per viam cantando, ad Cathe-  
dralem Ecclesiæ, pro gratiarum actione, pro-  
cedat; processionis vero tempore omnes per  
Civitatem campanæ solemniter compulserunt.  
finitis Litanis, concio, ac deinde canticum, Te  
Deum laudamus, &c. cum solemni fono Cam-  
panarum Cathedrales Ecclesiæ, subsequatur.

#### CAP. XI. De habitu Clericorum, & usu Romano.

*c. Precipi-  
mus 21.  
quis 4.  
Cœcil.  
Trid. sej.  
14. c. 6.  
De ref.  
Clem. 2.  
De vita  
& hone-  
state Cler.*

VM animadvertisamus, multos de Clero  
nequam honestati statuique suo competen-  
ti, in habitu & corona Clericali satisfacere,  
non sine vilipendio status Ecclesiastici, & scandalo publico: hinc iterum & peremptorie iisdem,  
præfertim vero qui in Civitate Nostra  
sunt, (cum pericula per Dei gratiam cesserint)  
cujuscunque conditionis sint, ferio injungi-  
mus, ut non differant, debitam in hoc sacris  
Canonibus, & Nostris reiteratis jussionibus,  
obedientiam exhibere: contra inobedientes &

contumaces pœnis, in jure comprehensis, &  
aliis Nobis arbitriis, procelluri.

Similiter mandamus omnibus & singulis,  
ut, post tot monitiones Nostras, usum officii  
Romani sine ulteriori cunctatione recipiant,  
& se Statuto Nostro, ante biennium edito,  
tandem conforment.

Tenor autem Statuti illius habetur in Syn-  
odo majori Osnabrugensi, part. 2, c. 7, §. 2.

#### CAP. XII. De Mendicantibus.

VM etiam ipsa experientia notum sit,  
multos vagos, ignotos, & validos mendican-  
tes, etiam sub ementita specie & habitu  
Religionis, & sub praetextu fallarum caularum  
& testimonialium literarum, eleemosynas con-  
quirere, & in usus non pios convertere: hinc  
monemus omnes & singulos Parochos, Cura-  
tos, & quoscunque alios, ne hujusmodi vagis  
& ignotis hominibus fidem ullam adhibeant,  
nec admittant ut eleemosynas publice per Pa-  
rochias querant, minus ex bonis aut æario  
Ecclesia iis aliquid contribuant, nisi publicum  
testimonium & mendicandi licentiam à No-  
bis, aut Nostro Vicario, exhibuerint. Per hoc  
tamen nolumus excludere aut diminuere chari-  
tatem in veros & notos hujus Diœcesis Re-  
ligiosos & alios Christi pauperes.

Statutorum Synodalium lectione finita, subjunxit  
Santidictus Dominus Conradus Busen, ex Con-  
fessi Romano desumptum, compendium Sacerdo-  
talis & Clericalis vita, secundum præscriptum  
Synodi, precedenti anno habitæ. Deinde Reveren-  
dissimi & Illustrissimi Episcopi Vicarius, iussu Cel-  
siudinis Sue, presentem Synodum est allocutus:  
Num placet cuicunque amplius aliquid proponere,  
quod ad hujus Synodi discussionem aut decisionem  
spectare posset.

Onibus vero tacentibus, idem Dominus Vic-  
arius monuit Curia Episcopalis Notarium seu  
Altarium communem, ut is nomina omnium cor-  
rum, qui de jure & antiqua consuetudine Synodo  
interesse solent, ex brevenculo recitaret, & absen-  
tia nomina observaret ac notaret.

Lectione completa, multorumque absentia anim-  
adversa, qui vel ob itinerum pericula vel religiosis  
mutationem, vel ob alios respondeant, ad Synodum non  
venerunt; idem Dominus Vicarius, coram Synodali  
confessu, ac presente Notario, protestatus fuit, quod  
hujusmodi absentium inobedientia, contumacia, ter-  
rificatio, seu emanatio ex quacunque alia causa,  
in Diœcesana Synodo celebrata, ac in posterum  
celebrande, alisque juribus Episcopilibus, in nullo  
præjudicare possit aut debeat.

Post hanc protestationem, subjunxit Admodum  
Reverendus Abbas Iburgensis orationem ex Pon-  
tifica Romano: Nulla est Domine &c. cum orat.  
subseq. pro Episcopo & communis statu Ecclesiæ, ut  
in Synodo precedenti. ac, cum solemni benedictione,  
ac Indulgentiarum consuetarum promulgatione,  
Synodus est finita, in nomine Domini.

S Y N